promissa ad effectum non perveniant, nedum ut talia, quæ forte nondum in mentem venerunt, in publicum proferantur; illum jubemus eo respicere, quomodo metalla quantum maxime potest, in *simplex* vitrum reducat, quod tam *fusilitatis*, quam *coloris* ingenio, pure *terreo arenario* vitro, quam proxime accedat: ita certe ad minimum semitam institerit, qua metam metalla in *stricte dictam terram* reducendi, prospicere, imo attingere tandem, possit. Sed, quod candide moneo, vix illa methodus hæc erit, quam *Beccherus* in animo habuisse apparet, vocat enim hanc methodum (Miner. aren. lit. C. pag 427. huj. edit.) *utile* arcanum; hæc vero methodus *inutilis* est. Ita quidem iterum ad illos, qui in Chymia excellunt, monente *Becchero*, recurrendum erit. Ego, ne Autori meo negotium facessam, quasi per obliquum suam laudem indicet, adeoque inanis gloriæ cupidus sit, si adstruam, quod illi etiam aliquid ad hujus negotii praxin pertinens, jam alibi indigitaverit; saltem divinando hoc dicam, quod fortasse per methodum *extractionis* hic progrediendum esse arbitretur, quam viam etiam olim *Isaacus Hollandus* indicare sustinuit, sed non aliter, quam statua mercurialis, *muta*, &, jam præsertim *exanimis*.

(7.) Interim, quanta proprie illa sit *utilitas*, quam Autor noster hic designat, & an illius proprie intuitu, *arcano* huic tantas laudes attribuat, ego quidem, *practicis* documentis evolvere impar fuerim: *Theoreticis* autem argumentis hoc solum quasi per nebulam prospicere licet, quod Autor fortasse putet, cum in metallis (aliquibus præsertim) *ignobilibus*, *terrestreitas crassior* ita abundet, ut *tenuitati mixtionis* reliquorum principiorum, conveniens *intimus* ingressus & coalitus, non perinde pateat: quod reductione illa in terram, hæ ipsæ *crassiores* partes commode, *ut terreæ*, separari atque detrahi possint, ut reliqua portio meliorem symmetriam atque harmoniam nanciscatur: Sub qua nempe non sit pristinum heteroclitum, sed *purius* quoddam, & ad *intimiorem* cohæsionem deductum, *mixtum*. Quod etiam *Isaacus Hollandus*, quamvis magis practice, ita professus est; sed merito laborem hunc *theoriæ* quidem non injucundum, *praxi* vero (civiliter) *inutilem*, declaravit, ex eo capite, quod suo tempore *Amausa*, seu *vitra metallica* teneriora (imprimis talia, quæ utili alicui curiositati inservire possent,) *auri pretio* vendi posse sciret: quæ hujus artis existimatio, hodie eviluit.

(8.) Cum curiositatis inciderit mentio, non ægre ferent curiosi, si historiolam aliquam hic inseram, an fortasse alicui tam felici esse liceat, ut traditionis talis veritatem assequatur. Cum vitrorum metallicorum incideret mentio, præsente digniore quodam curioso, testatus est ille, maximum quoddam desiderium vitri antiqui pulchre rubentis; quam artem perditam esse conquerebatur. Hoc cum audivisset curiositatum quidam artifex, non tam deperditam illam esse artem innuit, quin, si operæ sit pretium, tam pulchrum, quam usquam ex antiquis fenestris, earumve fragmentis (de his enim locutus erat alter,) exhiberi possit specimen, illud hodieque imitari sit integrum. Nescio dubitans, an experimenti avidus alter, grandem pecuniæ summam pollicitus est, si hoc præstetur. Erectus operæ pretio artifex, pulcherrimum parat, &